



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Joachim. 20. Martii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

210. [o\*]

## S. JOACHIM.

20 Martii.

*Quicumq; enim Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Paulus. Rom. 8.*

JOACHIMVS è Regia Davidis stirpe assēm suum trifariam divisit. Partem templo sacram, alteram egenis & peregrinis communem, ultimam sibi & familiæ voluit reliquam, testamento, quod vel cælum probavit. Nam cùm in ipsam senectam usque sine hærede vixisset ( probro id ætatis ac loci tanto, ut cum sacrificio suo etiam repulsam ab ara tulerit ) precibus suis apud Numen hoc questus, candidissimum nuntium certæ prolis accepit. Et verò spem ipse etiam rei eventus longè maximè superavit. Nata enim MARIA, & cum MARIA renatus orbis est. En pensavit profectò partus tam serus, quid quid morarum traxerat; potuit ignosci temporis tam magna parturienti, potuit IOACHIMVS hac una filiâ beatus ridere populos alios filiorum. Proinde officium Parris facturus, cælo Filiam, cui debebat, vix trimulam dicat, & templo jam tum Ancillam sacrat, nullam cum hoc sacrificio repulsam

ab

211. (59)

ab atra extimescens. Ipse certus de Servatore  
suum Abrahæ petit, inde paucis post annis  
triumphantem CHRISTVM ovans sequitur  
in cæli arces. Ibi ille olim sterilis senex, o-  
mnium parentum gloriam nunc exæquat.  
Summa est ejus, genuisse talem filiam, quæ  
talem illi nepotem peperit. Ex S. Ioan. Damasc.  
l. 4. de Fide Orth. & orat. de Nat. Maria.

### M E D I T A T I O

#### *De filiis adoptivis Dei.*

**N**aturâ unus Christus filius est Dei, Chri-  
stiani verò omnes adoptione & gratiâ. Pa-  
ter est Deus, Jesus frater, cælum hæreditas. Sur-  
sum anime mi! ad maxima & suprema natus, ab  
infamis & minimis abhorreas. Filius & Hæres Dei  
non inescari debet terrenis divitijs, nec doloso &  
vano dignitatum splendore decipi. Ego verè terram  
calcare didici, non adorare. Clem. Alex.

2. Ut verè nomineris, & sis filius Dei, necesse  
est, ut in actionibus tuis agatis Dei Spiritu. Deus  
gloriam suam semper querit, tu quoque eandem  
Patris tui gloriam semper querere debes: degene-  
ras, si animum deprimas ad humiliora. Vide, cui  
labores; si hominibus, operam ludis, illi enim aut  
nolunt, aut nequeunt, dignam laboribus tuis dare  
mercedem. Benè & laudabiliter factum compensare  
mundus, nec ingratuus solet, nec gratus potest. Thom.  
Mor.

N 4

32

3. Quisquis agitur Dei Spiritu, fidenter procul-  
randæ divinæ gloriæ allaborat; nec favens judicium  
hominum querit, nec timet adversum: sufficit illi,  
si Deus remunerator eum videat. Nusquam & nun-  
quam ab officio suo discedit, quia ubique & sem-  
per Deus eum videt. Si ejus suscepta coram ho-  
minibus male ceciderint, non mouetur, certus  
Deum ejus voluntatem & intentionem cognoscere.

## S. BENEDICTUS.

21. Martij.

*Beati sunt servi illi, quos cùm vene-  
rit Dominus, invenerit, vigilantes.*

Christus. Luc. cap. 12.

BENEDICTVS pater ludum cum eremo  
mutavit, satis jam magnus Philosophus,  
qui terrena contemnere didicerat. Ibi mul-  
to post malus Orci pullus merulam menti-  
tus, ingens sub animo libidinis incendium  
excitavit: sed ille nudus in spinas abjectus  
sanguine id extinxit; ut, quando Poëta ro-  
ras olim omnes candidas volunt fuisse; ex  
his spinis primum credam erubuisse. Secun-  
dum hæc cùm socios legeret, multa admi-  
ratione digna fecit, multa passus est: illud  
lepidum etiam memoratu: Discipulum, qui

à